

CVIACIVS putat, dum seruatorem nostrum sanctissimum, *sequestrum Dei atque hominum* adpellat. Sed licet hoc optime conueniat, tamen videtur TERTULLIANVS magis ad specialiore[m] eam significationem, qua iureconfulti hac voce vtuntur, respexisse, dum hic, ait, *sequester Dei atque hominum adpellatus, ex utriusque partis deposito commissio sibi*. Apte quoque hanc in rem obseruat PETR. PERRENONIVS <sup>g</sup>), referri huc posse VIRGILII versum <sup>h</sup>):

*Dum medium paci se offert iustissimus vnus.*

et qui ibi dicitur *medius pacis*, eum a LUCANO <sup>i</sup>) *pacis sequestrum* adpellari, et a SENECA <sup>l</sup>) *publicae gratiae sequestrum*. CAIVS quoque SILIVS *Italicus* <sup>m</sup>), vt hoc addam, *pacis sequestrum* dicit, qui pacem perficere studet. Neque omittendus est SEXTI IVLII FRON-  
TINI <sup>n</sup>) locus, quo dicit: *conciliauit (Philippus) animos eorum* (scilicet: Byzantium, Rhodiorum et Chiorum) *reddendo naues, quas ceperat, quasi sequestris futuros ordinandae pacis inter se atque Byzantios*. Denique huc refero, quae QVINCTILIANVS <sup>o</sup>) scribit: *Quomodo autem sequester ille et media litium manus, et quidam interpres impendet aequo animo laborem in alienas actiones, quem dicturus ipse non sit?* Loquitur de iis oratoribus, qui non ipsi a partibus et litigatoribus discunt ea, quae sunt in causa, ad eamque spectant, sed doceri amicos iubent, vt ab his, intermediis quasi, seu media litium manu et interpretibus, discant. Hoc modo igitur, vt

patet

g) *Animaduersion. et variar. lect. Lib. 1) locum non nominavit, nec ego in-  
i. c. 15. quem exscripsisse videtur uenire potui.*

CLVDIVS, licet eum non nomina- m) *Lib. 6. de bello punico v. 347. vt au-  
uerit. ctor mihi est GESNERVS in Thef.*

h) *Lib. 7. Aeneid. v. 536.*

n) *Lib. 1. Strategemat. cap. 4. n. 13.*

i) *Lib. 10. v. 472.*

o) *Lib. 12. Instit. orat. c. 8.*